Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 57

Quelle:
Copyright:

ſepb Dobrovius interpretatus eſt: *Karel Starſſi z żerotina*, id eſt *Carolus Senior de Zierotin.* Vide, ſi lubet, ejus *Literar. Magazin für Böhmen und Mähren*, *II. St. Prag.* 1786. p. 33. et III. *St.* 1787. p. 51. ubi et eruditorum Virorum *Zlobitzkii* et *Durichii* in inclitum iſtud Bibliorum Exemplar habes Obſervata. Poſterior, meus in Bohemicis Ὄθηγος, ejus non raro etiam T. I. egregiae ſuae *Bibliothecae Slav.* meminit.

XLI.

U. 3 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 342. f. commode perſcriptus, rubricisque diſtinctus *Vetus Teſtamentum* continet praevia hac nota: *Hunc librum dedit pro libraria domus Collegij ducalis Clariſſimus ac doctiſſimus vir magiſter Rupertus weiſſenburger ex pruck in ſacra theologia profeſſor fundatiſſimus Inſuper eccleſie ſancti ſtephani wienne canonicus predignus cuius anima deo viuat eternum feliciter.* Poſt alios Magiſtratus Academicos geſtos vir hic *Leitaepontanus* Rector praefuit a. 1469. quo ſimul ſacras Literas exponebat. Libri porro hoc ordine ſe excipiunt: *Pentateuchus*, *Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, *IV. Regum*, *II. Paralipomenon*, *Esdras* cum *Nehemia* adjuncto *Libro* III. apocrypho, qui hic II. dicitur, *Tobias*, *Judith*, *Eſther*, *Job*, *Machabaei*, et *Pſalterium.* Omnes ab litera cubitali eleganter picturata auſpicantur, et *Hieronymi* Praefationibus gaudent. Praeterea ſinguli Libri *Moſis* Indicem *Capitum* ſuorum praeferunt. *Paralipomenis* ſubjuncta eſt propria rubrica *Oratio Salomonis*; illa videlicet, quae paucis mutatis legitur L. III. *Reg.* c. 8. v. 23. *Pſalterium* denique non *vulgatum* eſt, ſed ab *Hieronymo* ex *Hebraeo* verſum, prout extat in Operibus D. Doctoris, et in *Sabaterii Bibliorum Sacr. Latinis Verſionib. antiq. Remis* 1743. T. II. p. 9. f. *Pſalmo* tamen 2. Codex legit: *Quare turbabuntur* pro *turbantur*, et, *Ego autem ordinavi Regem* pro *orditus ſum*, quae lectiones *Sabaterio* non videntur occurriſſe. Et ſic totum *Pſalterium* examinari mereretur. Adjecit Librarius ad ejus calcem ſpurium illum Pſalmum: *Puſillus eram* &c. de quo *Fabricii Codex Pſeudepigr. V. T.* p. 905. Etiam hic: *Quis annunciauit de me Domino meo*, quod non eſt in graeco: τις ἀναγγελει τῳ κυριῳ μου.

XLII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. R. 824
Folior. 456. f. max. per duas columnas probe ſcriptus, et picturatis initiorum literis decoratus continet ſacra *Vet. Teſt. Biblia*, demto *Pſalterio*, vulgatae interpretationis cum Prologis *Hieronymi*, ordine conſueto. Liber *Nehemiae fol.* 205. p. 2. ad calcem dicitur *liber Esdras ſecundus*, et tamen *Esdrae* tertius, qui ſequitur, etiam inſcribitur *Secundus.* Inter hos duos Libros inſertum eſt: *Hic eſt ordo legendarum hyſtoria-*